ACAD.
LUGD.BAT.
BIBL.

Et communis lex humanitatis, qua omnes, tanquam concives in hac rerum universitate tenemur, et ingenitus tibi de bonis omnibus bene merendi ardor, quo quotiescunque uti non datur, totius cum Velleio olim illo generis humani diem [?] quereris perdidisse, fiduciam semper fecere Perillustris Domine occasiones tibi identidem obtrudendi; ne videlicet vel benevolentiae Hugenianae genio vel amicorum meorum petitionibus mos non geratur. Quid itaque his verborum ambagibus opus fuit? nihil profecto; neque enim quantopere mea causa velis, vel dicere possim, vel ignorare. quapropter quid sit quod te rogem simpliciter nulla circuitione sum elocuturus. Cum dominica festum nativitatis appropinquet, quo celsissimus princeps jura magistratuumque solet sanctumque Senatum Alcmariensium legere, id unum optant et ego et matris meae filius, ea summa est voti atque ambitionis nostrae, ut tua opera, benignitate principis, Cornelio Rypio, patricia inter suos gente patre quondam non semel, fratre etiam nunc nescio sane an consule certe consulari, propria autem praecipue virtute commendabili, muneris thesaurarii, quo hactenus non sine prolixa integritatis laude functus est, in proximum annum prorogetur. Ne putes rem fore novi exempli idem Andreae Scagio syndici fratri Rypii hujusce praedecessori ante indultum fuit. Meis apud te precibus, tuo favori tuae gratiae apud aeternae principem memoriae Frederieum Henricum inter indigetes deos jam adscriptum, in solidum et debet, et libens debere confitetur Rypius quod cum dignitatis gradum sit adeptus. Quare si beneficio tuo faveas, idque porro asseras ac tuearis non modo huic annuam continuationem, sed et gratiis debendis addes perennitatem. Sic bono reipublicae immortali, bonorum omnium unanimi suffragatione ac voto quam diutissime laudaris, placeas, vigeas, valeas [?], ameris. Sic tarda sit illa dies et nostro serior aevo, qua te tam illustre depositum coelesti patre quantumvis dudum reposcenti, quantumvis quotidie invitanti, invita et invidente terra,

tandem aliquando reddonabit. In quo feliici omine desino

Hornae propere. 10. ~~Nov.~~
Decembr: CIƆIƆCXLIX.

Perillustris Domine,
Hugeniano nomini
devotissimus cliens
Bruno.

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Bruno_H) 99
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4912a

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Bruno_H) 99
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4912a

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Bruno_H) 99
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4912a

Mijn Heer

Mijn Heer van Zuylichem Zeel=
hem, en in Monickenlandt, Ridder,
Raed en eerste Secretaris van
Syne Hoogheyt.

In
's Gravenhaye

port

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Bruno_H) 99
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4912a